



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

De eadem re. Cap. LXXI.

*Ex decre. Anacle-
ti papa.* SACERDOTES quando sacrificant, non soli hoc agere de-
bent, sed testes secum habeant, vt Deo perfecte
sacratis domino locis sacrificare probentur. Ait nanque
auctoritas legis diuinæ: Vide ne offeras holocausta tua
omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit do-
minus Deus tuus.

De presbyteris qui demonibus variisque passionibus
vexantur, quod illis sacra tractare non liceat.

Caput LXXII.

*Ex decre. Py papa.
cap. 6.* Bene siquidem maiorum regulis definitum est, vt de-
monii aliisque passionibus irretitis, mysteria sacra
tractare non liceat. Cui præcepto, consensu rationis ad-
hibito, id communiter definiuimus, vt nullus de his qui
aut in terram arrepti à demonibus eliduntur, aut quolibet
modo vexationis incurfibus efferuntur, vel sacris ac-
deant ministrare altaribus, vel indiscussi se diuinis inge-
rant sacramentis, exceptis illis qui corporum incommo-
ditatibus dediti, sine huiusmodi passionibus in terram
approbantur elisi. Qui tamen & ipsi tamdiu erunt ab of-
ficio sui & ordine & loco suspensi, quousque vnus anni
spacio, per discretionem episcopi inueniantur ab incurfibus
dæmonum alieni.

De eadem re. Cap. LXXIII.

*Ex decre. Sotheris
papa,
cap. 8.* VT illud diuini oraculi monentis singuli præcauent
quo scribitur: Væ soli, quia quum ceciderit, non ha-
bet subleuantem: summopere verendum est nobis & ca-
uendum, ne horis illis atque temporibus quibus dominus
psallitur, vel sacrificatur, vnicuique diuinis singulariter
officiis insistenti, perniciofa passio vel corporis quælibet
valetudo occurrat, quæ aut corpus subito subruat, aut
mentem alienatione vel terrore confundat. Pro huiusmo-
di ergo ausibus præcauentes, necessarium duximus insti-
tuere, vt vbi temporis vel loci, siue cleri copia suffragari
habeat quisquis ille canens Deo atque sacrificans post se
vicini solaminis adiutorem: vt si aliquo casu ille qui offi-
cia impleturus accedit turbatus fuerit, vel ad terram eli-
sus, à tergo semper habeat qui eius vicem exequatur in-
trepidus, & officium inceptum adimpleat.